

Georg Detharding

Programma Qvo Ad Lessum Exeqvialem Qvem Illustri, Magnifico ac Experientissimo Viro, Domino Joh. Ernesto Schapero, Medicinæ Doctori & Prof. Publ. Primario ... mœrore & lacrymis mersa Vidua adornatum expetit, Omnes omnium omnino Ordinum Cives Academicos, suis quosque titulis fulgidos, Amplissimæ Facultatis Medicæ nomine officiose ac peramanter invitat Decanus Georgius Detharding. : [P.P. in Academia Rostochiensi, sub Sigillo Facultatis Medicæ die VI. Februarii, Anno MDCCXXI. Conventus fiet in Templo Jacobæo ad I. pomerid.]

Rostochii: Wepplingius, [1721]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774514345>

Druck Freier  Zugang



Detharding, G.,
in
J. E. S c h a p e r .

Rost. (1721.)

2.

PROGRAMMA

QVO AD

LESSUM EXEQVIALEM

QVEM

*ILLUSTRI, MAGNIFICO ac EXPERIEN-
TISSIMO VIRO,*

DOMINO

**JOH. ERNESTO
SCHAPERO,**

Medicinæ Doctori & Prof. Publ. Primario,

**SERENISSIMI PRINCIPIS REGNAN-
TIS CONSILIARIO INTIMO, ET ARCHIA-
TRO, ACADEMIÆ, FACULTATIS MEDICÆ ET COL-
LEGII DUCALIS SENIORI GRAVISSIMO,**
mœrore & lacrymis mersa.

VIDUA

adornatum expetit,

Omnes omnium omnino Ordinum Cives Academicos;

fuls quosque titulis fulgidos,

Amplissimæ Facultatis Medicæ nomine

officiose ac peramanter lavitat

DECANUS

GEORGIUS DETHARDING.

ROSTOCHII, Typis Joh. WepplingI, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr.

PROGRAMMA

AD

LESSUM EXEQUIALEM

QVAM

ILLUSTRI, MAGNifico ac EXPERIEN-

TISSIMO VIRO,

DOMINO

JOH. ERNESTO

SCHAEFFERO.

Medicinis Doctori & Prof. Publ. Primario,

SERENISSIMI PRINCIPIS REGNAN-

TIS CONSILIARIO INTIMO, ET ARCHIA-

TRO, ACADEMIE, FACULTATIS MEDICAE ET COL-

LEGI DUCALIS SENIORI GRAVISSIMO,

in honore & laetitia nacta.

VIDUA

adnotationem continet.

Omnes ordinum omnino Ordinum Civis Academicos,

qui decesserunt hujusmodi,

Amplissima Facultatis Medicinae nomine

officium se gerentem hujusmodi

ORDINUS

GEORGII DETHARDING

ROSTOCKII, Typogr. Joh. Weyhmann, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr.



Lebile, eheu! Offi-

cium O *Cives Academici!* quo ego hodie fungi jubeor, & ex quo Vos estis Facultatis Medicæ nomine hodie compellandi! SCHAPERUM nostrum ex nostro vestroque ordine morte præmatura pronuper abreptum esse, his intimo & simul abiisse

Virum intelligitis, qui nobis omnibusque natus, factus deditusque erat. Lugeat illum **PRINCEPS**,

quod Archiatrum amiserit ex facundia, medendi peritiæ sociata, sibi valde amabilem: Lugeat illum *AULA*, quod Consiliarium amiserit promptitudine & consiliorum gravitate fulgidissimum; Lugeat illum *PROVINCIA* quod Antistitem salutis amiserit, cui felix dextera ad incolarum curandos morbos: Lugeat illum tota *VICINITAS*, quod Medicum amiserit, qui & suam domum medendi arte compleverit: Lugeat illum *VIDUA*, quod Maritum amiserit ex fide, amore & concordia sibi charissimum; Lugeat illum *FAMILIA*, quod columen suarum rerum amiserit; Lugeant **SCHAPERUM** omnes, qui illum noverant facie suavem, ore disertum, magnitudine corporis admirabilem, qui nunquam permiserit fores ejus crebro pulsari: Nostræ jactura est maxima; luctus ergo noster erit maximus. Fuit beate defunctus **PROFESSOR** nostræ Almæ, isque valde habilis; ast, quam de hoc officii genere valet, quod de Poëti dici assolet, ad hanc non sufficere instructionem licet optimam, sed indolem requiri innatam. Quam pauci dantur eruditi! nec vero hic cothurnus ad pedem cujusvis eruditi apte convenit! Quando in quovis Præceptore

A 3

ptore

ptore desideratur, ut sit doctus, ut noverit scitu necessaria juventuti commode instillare, ut sit in sermonibus sententiosus, elegans in lectionibus, in docendo perspicuus, in pronuntiando prudens, quid de Professoribus dixerimus, qui non pueris sed adultis juvenibus sunt præpositi, majori honore stipendiove fruuntur, quo sint Hermathenæ in ornamentum & salutem Academiarum. Multo major his sit in docendo experientia, quo omnem quam sperant, utilitatem ex lectionibus capiant Auditores. His sit in proferendo acumen ingenii judicii lance appensa, ne coelum intra terramque dubii pendentes, qui attendunt, relinquuntur. Sit gravitas decens affabilitatis desideratæ condimentum. Sit in perorando facundia, evidentia in scribendo, in disputando charitas rationibus conquisitis veritatem commendans, modestia in gestibus pariter ac colloquiis. Sint, *verbo*, Professores speculum publicum, in quo Minervæ filii vitam contemplari possint, quâ ad bonos mores pariter ac ad sapientiam se componant. *Talem dum amisimus, non tam facile reparandum, quidni lugeamus? Fuit eheu! DEFUNCTUS* noster, ut luctus nostri plane singularis causas porro exponam, *Academia*, in quâ constituti sumus, *CONSILIARIUS*, expeditus in Consiliis, magnâ prudentiâ, alto intellectu, modesta astutiâ, svari amabilive elocutione omnia peragens, ut ipsius Consilio plurima facta fuerint. Quod si ex suffragio Patrum Conscriptorum Reipublicæ Academicæ Rector constituebatur & moderator, ductu suo rem omnem ita gessit ut *sapiens, prudens, inculpabilis* haberetur, nec petulantiam exercentibus indulgendo, nec nimis rigidus vel vehemens puniendo leviores excessus. Docuit quippe, exemplo satis memorabili, non omnino ab ludere prudentiam medicam à peritia imperandi, quando illa diversis vulneribus diversa emplastra destinare novit, hæc quoque varia

varia in tot animis vitia observans, pro cujusve morbo
medicinam quærit. Sed & talem fidum Academiae Gu-
bernatores amissimus, quidni lugeamus? Fuit, quem jam
querimus, *Academia Collegii Professorum Ducalium*, ac tan-
dem *Facultatis*, quam memoravi, SENIOR, in quo legum
ad collegia hæc spectantium, scientia fausta ac fida, ardor
pro custodiendis Legum sanctionibus inexstingvibilis;
studiumque indefessum, ut redderentur ordines illi splen-
didiores & fortunæ amplioris. Columnam hanc ablatam
dum sentimus, ruinam jamdudum minitante Alma nostra,
quidni lugeamus, quidni lugeamus præ aliis? Cecidisse
SCHAPERUM persuasus sum, quo, cujus splendorem ac
eminentiam hætenus mirati sumus, hujus amplitudinem
jam intelligamus. Vix aliter ac obvenire novimus in
globo æreo, turri excelsæ imposito, cujus sublimitas &
nitor cujusvis intuentis oculos facile perstringit, at magni-
tudo ante ignoratur, quam inde demissus humi jaceat.
Præstare ergo dixeritis, qui ereptum nobis ingens Acade-
miæ decus & præsidium in morte Illustris SCHAPERI
cum summo animi dolore perceperitis, longiori oratione
jam abstinere, quam vulnus nostrum enarratione horum,
de quibus gratulari nobis potuimus, discursu prolixo re-
fricare; id quod est acerbiori luctui subministrare mate-
riam. Sed, nonne videremur plane immemores benefi-
ciorum in nos collatorum, quod & huic officio detraha-
mus, quod exhiberi sœvit longe & genere & ingenio in-
terioribus, quorum memoria his subsidiis posteritati com-
mendatur? Linquamus, quod facile concesserim, his qui
historiam fulgidæ Gentis SCHAPERIANÆ aliquando
conscripturi sunt, ut hanc Stellam primæ magnitudinis
quoad omnem suam virtutem luculenter ac splendide de-
scribant: quando nauta non arguitur querelarum, qui
naufragio perpeffo vulneratam magno ictu navim suam

tristis narrat, Turtureive gemitus sunt inter laudes columbarum; doleamus non in sinu, sed referamus gravitatem nostri doloris verbis prolixioribus, vel saltem pondere-
mus, quæ ad nos attinent, an vel abhinc, quod affligit, possit fieri Medicina. *DEFUNCTUM* genuit, ut ab ovo ordiamur in quo ipse jam formatus, vel ex propria sententia, hæsit, causarum quæ in Dicasterio Provinciali Brandenburgico tunc temporis perorare siveverunt, Patronus facundissimus & Neo-Marchicarum hisce conjunctarum civitatum Syndicus inclytus *JOHANNES SCHAPERUS*: tulit Fœmina ex *WERNICORUM* ampla Familia oriunda, & ex hoc partu suo Præclarissima, *MARTHA SOPHIA*. Hospitio blando cunisque exceptis inexcuperabilibus munitis præcincta prælidioq; firmato valida Urbs *CUSTRI-
NUM*: sibi puerum sumpsit, cui prima literarum rudimenta instillaret *GYMNASIUM PATRIUM*: in artis medicæ amorẽ perduxit Anatomiam monstrando Archiater Electoralis *STOSSIUS*: Sed ut in nostros usus esset magnâ cura formavit Viadrinæ Almæ Professor dexterrimus *BERNHARDUS ALBINUS*. Quisquis perpendit, quem in via ad disciplinæ longe alia sit ratio, ac in communi vita peregrinantibus contingere solet, quibus Urbes & oppida famæ celebritate se allicientia tandem in oculos incurrunt, disciplinæ vero non in aperto collocatæ sunt, sed, ut aureus ramus apud Virgilium, densissimis abditæ sylvis umbrosis recessibus latent, hinc mentis exercitatæ oculos volunt, gaudebit selegisse *NOSTRUM* Magistrum talem improbum, qui devia & præcipitia declinare, rectam vero regiamque ad medendi artem viam prosequi fideliter commonstraverit. Sunt qui rei tam arduæ, ac eligere Magistrum est, consulere seduli, hæc tyronibus tradunt indicia: ut (suppresso judicio de Doctoribus suis quantum Doctrinam attinget, esse quippe absouum id quod ipsi ignorent, alterum

rum satis sciat existimare quasi intelligerent) sequantur eum, quem à Doctis & laudatis Viris laudari audiant: quem perspicuitas commendet, & pulchra doctrinæ conexio, ut quasi sponte se ingerat: qui Philosophi laudem sit assecutus; qui in Professoria dignitate constitutus: de SCHAPERO nostro dixerimus in sequela *ALBINI* se ter quaterque beatum fuisse dicendum, quod inciderit in talem, in quem modo memorata criteria quadrare omnes confitentur, qui illum noverint; bono ergo nominis omne hunc aliosve Auditores *ALBINI* albæ Gallinæ filios dicendos. Omnium minime vitio *ILLI* verti poterit, quod per plures annos ab ore unius hujus Præceptoris hæserit; hæsit vero per quadriennium. Dum in confesso est in limine constitutos scientiarum, quidni etiam Medicinæ & Cultores, quam valeant ingenio, nescire quo se vertant, si novos crebro sequantur duces, ut Herculis quondam, instar in bivio se videant constituti, quorum vestigia ipsis sint legenda summopere titubent. Promeruit sane hæc constantia amorem Præceptoris, redhostimenti loco & hinc ex informatione ab utraque parte fausta dicenda, fructus hic laudabilis fuit oriundus, quando à Præside tam sibi charo non modo constitutus elegantissimæ Disputationis defensor, quæ de *Massa Sanguinea corpusculis* in Illustri Electorali Viadrina Anno 1685, cum applausu habita, sed eundem Vatem habuit fortunæ suæ certissimum; his verbis relatu dignis se alloquentem:

*Nec vulgata placent, nec proletaria queris
Edoctus dubiam sensibus esse fidem.*

*Abdita sectaris, SCHAPER, mysteria
mundi,*

Quæ sensus fugiunt hæc ratione vides.

EB

*Est Specimen sanguinis, cujus corpuscula
nostris*

Sensibus aut sistis, vel ratione probas.

*Ardua moliris, sed erunt molimina
fausta;*

SCHLAPERUM quævis ingenio-
sa decent!

*Crede mihi, pensabit honor molimina
docta,*

Protinus ut fiat, voce animoque precor!

Quando anno abhinc elapso, qui itineribus ad externos fuit transactus, prævio examine publico, quod Disputationem solennem vocamus, in quo morbus ab omni parte singularis habendus, *Diabetes nempe vera*, ventilationi Eruditorum fuit expositus, Idem lauream Doctoralem Auditori huic suo morigero & indefesso imposuit, dubium manet, quis illorum majori lætitia fuerit perfusus? Siquidem Academiae Matris nomen gerunt, Professores publicos dixerimus aptissimas Nutrices, quæ almo scientiarum lacte alumnos alunt, blandissimum ergo nutritionis negotium in se suscipiunt: sed quoque in sinu gaudent, quoties suo amplexu fotos vident crescere, satisque ætatis roborisve ad veritatem amplectendam sustinendamve acquirere. Novellus itidem Doctor; quia non modo in maritum perjucundum à lectissima Virgine *AUGUSTI MERCKII*, sacrorum Prensloviensium Antistitis filia genitotibus inclita fuit electus; sed & Principi *CHRISTIANO I. Saxoniarum Duci & Episcopatus Martisburgensis* postula-

postulato Administratori adeo placuit, ut Archiater consti-
tutus, & post fata illius à successore CHRISTIANO II. ad
idem honoris decus sustinendum vocatus fuerit; satis & non
sine animi voluptate expertus est, quam Thesaurus sit
scientia, quam contulerit Præceptoris olim sui monita stu-
diosissime pressisse, omni celeritate, omni fide, dicta ejus
excepisse, quodve oporteat prius quem esse discipulum
quam doceat & remigem, quam ad Gubernacula manus
admovere. Sunt omnia, quæ hætenus de fati *Defuncti*
audivimus, non equidem tam levis momenti ut silentii pe-
plo involvi aut negligi voluerint nec inde in gloriam ejus
varia argumenta profluant, vix tamen nobis inde tanti
luctus esset nata occasio, si vel illic substitisset vel tunc è
vita discessisset; Noster quippe nondum fuit, nobisque in-
solatium, in commoda, in amplexus nondum traditus.
Quod hoc obtigerit debemus castis amoribus luctuosissimæ
jam Viduæ *HEDWIGÆ CATHARINÆ HABERKORNÆ*, emi-
nentissimi Præsulis GUSTROVIENSIS, gratæ venustatis &
animi dotibus fulgidæ filiæ, quam *Parentis* Lusatos quon-
dam auditores invisentis Comitem, Viduus qui erat
deperire cepit, sed quem hæc, dum venit, vidit, & dum
vidit, vicit ac vinxit. His quippe vinculis Gu-
strovium fuit perductus, & simul venit in notitiam,
imo in amorem, Serenissimi t. t. Ducis Megapolitani
GUSTAVI ADOLPHI, beat. memor. qui
collata Professione medica, quam in hac Alma *WÜRDI-
GIUS* cœlitibus adscriptus, ante quinque annos vacuum
reliquerat, tam arcte constringere *SCHAPERUM* novit,
ut *Noster* factus sit & *Noster* ad vitæ terminum manserit.
Arrabonem amoris sui accepit Academia die XII. Jul.
Anni MDCLXXXII. quâ se Oratione publica fidei ejus
adstrinxit, omnibusque & singulis quam sacra sibi jurâ
B
ejus

ejus futura sint, magna fide & fiducia professus est. Numerari itaque inter gaudia sua Universitas hæc potuit, & ad primas meritorum SCHAPERI lineas pertinet, quas adhucdum æstimamus, quod numerus Cultorum Medicinæ fuerit adauctus, qui illam quasi deseruerant & paradisiaca ave in hac Alma conspiciebantur rariores. Sedula sane ejus informatio, dictionis perspicuitas, fatigatio tam dulcis à magis notis transeundo ad minus nota, à claris ad minus manifesta, omniaque quantum fieri potest demonstratione & exemplis probando, unguenti redolentis instar sparsit odorem eruditionis acquisitæ & hic venalis per vicinas terras, ut huc vehi & auro redimere illam Æsculapii filiis haud grave visum fuerit. Non levi gloria nitetur Rosetum, quod locus sit à Natura habilis in quo studia omnis generis excoli possint, & aptissima urbs ad hospites literarum cupidos molliter habendos, quam Aëris salubritatem sibi domesticam habet, Æolo perflanti aerem ventilanti pervia, vivendi commoditate, amoenissimis vallibus, silvis & rivis conspicua, annona facili clara &c. Longe vero majorem splendorem obtinuit ex Doctorum quos aluit, præclara eruditione atque altissima scientia, quorum modo hæc fuit mens, ut nullum tempus aliter impenderint, quam ut docendo discerent, & se non adeo ornari ex loci hujus celebritate, quam locum hunc, amulatione adeo laudabili, reddere illustriorem voluerint. Catalogo horundem salva veritate inserendus jam SCHAPERUS, utpote qui juventutem medicam alliciendo, allicitos scientia necessaria instruendo, instructos in auditorium, ut scite quæ didicerant defenderent & Victores agerent, deducendo, Victorum capitibus diadema Doctorate imponendo, his, Urbi, sibi que optime consuluit ac ex omni parte, quæ in honorem cedere possent & emolumentum magnis ausibus, successu valde prospero, viriliter

ter

ter & animo magno præstitit. Sunt hæc momenta meritorum SCHAPERIANORUM majora quam ut per transennam strictim modo adspiciantur. Quod itaque ad Disputationes attinet, en! Catalogum ad ordinem hunc conscriptum, quem anni imperant:

Anno 1693.

De Emeticis Antimonialibus. Respondente Gustavo Adolpho Siricio, Gustrov, Meclenb.

De Acidorum efficacia. Resp. Jacobo Bartholomæo, Parchimensi.

Anno 1694.

De Valvulis Vasorum lacteorum, lymphaticorum & sanguiferorum. Resp. Joh. Jac. Döbelio, Rostoch.

De Morbo arquato. Resp. Jacobo Barthelmæi, Parchimensi, cum Programme: de morborum congerie, vel ex vasorum, vel ex humorum labeforiunda.

Anno 1695.

De Epilepsia. Resp. Hieron. Matthæo Bartholomæo, Arnstadio-Thuringio, cum Progr.: de eodem morbo.

De Viscido Sanitatis offendiculo. Resp. Joh. Christoph. Gottwald / Gedanensi, cum Programme: de viscido humorum salutari & noxio. Pentz. March.

De Febre Petechiali. Resp. Georgio Löffhagen, cum Programme: de frequentiori Febrium malignarum causa,

Anno 1698.

De Arthritide. Resp. Georgio Matthia Röhr, Hamburg. cum Programme: de Mucilage juncturis & salutari & noxia.

Specimen Medicinæ curiosæ, quatuor harum quæstione enodatione clarum:

(1) quid de iis hominibus statuendum, qui per multas

B 2

Hebdo:

Hebdomadas, imo annos, sine cibo & potu vixisse dicuntur? an talis abstinencia in ipsis morbum arguat, & quomodo curandi sint?

(2) An vel naturaliter, vel per morbum fieri possit ut homo lingua loquatur, quam nunquam didicit?

(3) Quid de Nadrugala radice, medicamine adversus Podagram, statuendum?

(4) Quid de inventis & promissis Pegelianis sit iudicandum? Respond Ernesto Henrico Fecht, Dur-lac, Badensi.

Anno 1699.

De Digitis manus dextræ in quadam fœmina per quassationem nodositate spina ventosa & atheromate monstrifis, cum tab. 2. æri incis, Respond. Carolo Friederico Below, Holma Sveco.

De Caduco muliebri. Respond. eodem Belovio, cum Programmate: de malo hystérico in Viris.

Anno 1701.

De Variolis. Resp. Johanne Brandt / Lubec. cum Programmate: De Sympathia inter necessarios.

De Obesitate nimia. Resp. Ernesto Henrico Fecht, Dur-laco Badensi.

Anno 1703.

Specimen Medicinæ curiosæ, duabus his quæstionibus enodatum:

(1) qvî fiat, qvôd inter quosdam homines aliquando oborietur odium, cujus causam tamen ipsi ignorant?

(2) quid de Sangvinis calentis è corpore hominis decolati prorumpentis potu contra Epilepsiam tenendum? Resp. Paulo Bernhardo Neucrantz, Lubec.

Anno 1705.

Specimen Medicinæ curiosæ duabus quæstionibus enodatum:

(1) Quid

(1) Quid de Pilorum canis rabidi impositione vulneri per ejus morsum inducto facta tenendum?

(2) An abrasio Pilorum operari possit, ut Rei facilius à tormentis victi veritatem confiteri teneantur.
Resp. Joh. Gothofredo German, Gustrov.

De Signis imminentium morborum ad præcautionem necessariis. Respond. Davide Wilhelmo Habermanno, Rostochiensi, cum Programme: de coloribus in Microcosmo reperibilibus iisque mutabilibus, an ex his in Medicina aliquid probabiliter judicari possit?

Anno 1711.

Specimen Medicinæ curiosæ his duabus quæstionibus enodatum:

(1) Ob der Schuuppen gesund sey / viel Böses wegnehme und die Leute schön mache?

(2) Ob ein Aderlass / die zum erstenmahl geschlehet / kräftiger und sicherer / als die schon vielmahlen geschehen / einen Kranken vom Tode erretten könne?
Resp. Joh. Georg. Barnstorffio, Rostoch.

Anno 1712.

De Tympanite: Resp. Eodem Barnstorffio.

Specimen curiosæ Medicinæ his duabus quæstionibus enodatum:

(1) an veritate nitatur? daß ein Schwindstüchtiger Leber und Lunge aushusten könne / und daß man die Lunge könne wieder wachsend machen?

(2) quid tenendum sit de Pro verbio in vita civili usitatissimo: Hände und Füße wachsen nicht wieder / wie die Krebs · Scheeren? Respond. Joh. Ludovico Schapero, Lusato.

Anno 1713.

De Dysenteria. Respond. Christ. Frid. Fabricio Megapoli

De Hydrophthalmia intercepta. Respond. Joh. Ludovico Schapero, Lusato.

Anno 1715.

De Mictu cruento. Respond. Eodem Scapero.

De Hydrope ascite. Resp. Carolo Nicolao Eggebrecht, Stralsundensi, cum Programmate: de Hydrope an. sit sanabilis ?

Anno 1720.

De Cardialgia. Respond. Joachimo Theodoro Hornhart Wena-Hanoverano & Archiatro Ducali Graboviensi, cum Programmate: Was vom Abstreichen des Herzschnaues zu halten sey ?

Quisquis jam novit stilum Academicarum; quam in conscribendis Disputationibus hodie hoc aut honoris aut oneris, relinquatur Præsidi ut illarum Author & Scriptor sit, quam Respondentes in materia ipsis nondum semper conspicua satis sint speciatim erudiendi, ut masculæ se in cathedra gerant; quam in actu Disputationis ipso & Opponentium, à Præside, & Respondentis sit habenda ratio, quo veritati, eâ qua licet perspicuitate, litent: is SCHAPERO & hoc dabit, quod laboris sibi haud parum imposuerit speciminibus memoratis magno sudore & solertia indefessa conflatis Academiam hanc orbi Erudito commendandi & omni nisu demonstrandi, se Professore esse, non qui à profitendo nomen acceperit ac mons à movendo, sed loquentem, docentem, dissentientem, scribentem, & quo vocabulo omnia Professoris publici munia exprimuntur, fidelissimum: hinc ex communi consensu *BENE MERITUM*. Auget porro famam & merita *DEFUNCTI* frequens collatio Laureæ Doctoralis in Viros illius condignos. Gravis est exprobatio, quæ fit & Italis & Gallis & Bælgis, utinam non etiam Germanis! quod levis lucri captandi causa

causa promiscue Licentiam Medicinam exercendi; cuius
petenti, brutis sæpe indoctissimis, impertiantur, totam
hanc artem infament, Academias dehonestent, sibi met
ipsis stigma inurant, salutis Rerum publicarum perverso-
res & omnium cœdium quæ inde proveniunt causæ exi-
stant; culpa certe tali vacat *DEFUNCTUS* noster, & Aca-
demia vacat nostra, ut potius, qui se Decano Doctoris In-
signibus fuere decorati, stellæ sint Cœli nostri Academici,
non Planetæ, lucem ab aliis qui exspectandam habeant.
Audient enim omnes, qui illos vel noverint adhuc in vi-
ta constitutos, vel jam morbo extinctos, judicent etiam
in summam invidiam inde adducti, an vel unus indignus
mitram Doctoralem sub *SCHAPERO NOSTRO* abstulerit
aut emendicatus sit. En nomina Promotorum denuo ad
annorum calculum memoranda!

Anno 1693. in die 18. April.

D. HENRICUS ANHALT, Perlebergensis; r. t. Aulæ
Hassiac-Hamburgensis Medicus: abhinc Proto-
physicus & Consul Neo-Ruppinensis amplissimus.

D. JOHANNES JACOBUS DOBELIUS, Rostochiensis:
abhinc Professor regius Lundinensis & Ducatus
Scaniæ Medicus Provincialis nobilis.

D. JACOBUS BARTHELMÆL, Parchimensis: abhinc Ar-
chiater Potentissimi Regis Poloniarum & Electo-
ris Saxonæ excellentissimus.

D. JOHANNES CHRISTOPHORUS GOTTWALD,
Gedanensis: abhinc Practicus Gedani felicissimus.

Anno 1699. in die 12. Jul.

D. GEORGIUS LOFFHAGEN, Leontinensis Marchicus;
r. t. Medicus Boitzenburgensis: abhinc Medicus
Schleswigensis illustrissimus.

D. GERHARDUS MATTHIAS RÖHR, Hamburgensis:
abhinc Medicus & Consul Anclamensis gra-
vissimus.

Anno

Anno 1699. in die 10. Octobr.
D. GAROLUS FRIDERICUS BELOVIUS, Holma-Sve-
cus: abhinc Medicus Holmensis desideratissimus.

Anno 1701. in die 20. Sept.
D. ERNESTUS FRIDERICUS FECHT, Durlaco-Ba-
denfis: abhinc Archiater Megapolitanus & Medi-
cus Sverinensis famigeratissimus.

D. JOHANNES BRANDT, Lubecensis, Medicus in
Urbe patria solertissimus.

Anno 1705. in die 26. Novembr.
D. WILHELMUS DAVID. HABERMANN, Rostoch.
abhinc hujus Civitatis Physicus & Professor pu-
blicus hujus Almæ pretiosissimus haud pridem de-
functus.

Anno 1712. in die 15. Novembr.
D. JOHANNES GEORGIUS BARNSTORFFIUS, Ro-
stochens. abhinc Poliater Gustroviensis æstuma-
tissimus.

Anno 1713. in die 23. Martii,
D. CHRISTIANUS FRIDERICUS FABRICIUS Malchi-
nensis: abhinc Medicus & Consul Patrius expe-
rientissimus.

Anno 1715. in die 4. April.
D. JOHANNES LUDOVICUS SCHAPER, Dobrilucca
Lufatus, abhinc Medicus hujus civitatis & Pro-
vinciæ gratiosissimus.

D. CAROLUS NICOLAUS EGGBRECHT, Strallund.
abhinc in Patria Practicus indefessus

Anno 1720. in die 1. Octobr.
D. JOACHIMUS THEODORUS HORNHART, We-
na-Hanoveranus: abhinc Archiater Ducalis Grabo-
viensis meritissimus.

Trophæa hæcce Doctrinæ & Sedulitatis tot ac tanta
suffi-

sufficere potuissent, ad omnem reprehensionem neglectus officii Professorii elidendam, ad Academiae decus reparandum & sustinendum, ad excitandos in parili dignitate constitutos, ut pares essent in oneribus academicis suis humeris impositis probe exantlandis: sed, cui symbolum vere Docto in quarto modo proprium, non latet, *nunquam otiosum esse*; is eandem mentem fuisse SCHAPERO concesserit; quando non solis Hippocratis filiis se esse publice praefectum credidit, sed omnibus singulisve huc, tanquam ad mercaturam bonarum artium, convolantibus, inservire sedulus, *Collegia Physico-Experimentalia* liberali manu pandit, & ne quaedam ad recolenda, quae docuerat, deficerent *Demonstrationes Physic-Curiosas*, a. 1701. typis divulgari concessit. Quodsi evagari vellemus, & allegare scripta typis impressa: v. 9.

De Morte Serenissimi Marchionis Badensis JACOBI.

De Lippitudine crystallifera ad Potentissimi Regis Borussiae Archiatrum primum D. THEODORVM CHRISTOPHORVM de KRVG.

facerent haec ad evehendam Defuncti notitiam in morbis difficilioribus enodandis aequae ac curandis, sed ultra metam essent, quam nobis jam proposuimus: aliis ergo ampliori & docta magis penna, ut isthaec afferant, relinquenda. Hi quoque invenient Messum amplissimam narrandi *Themata Orationum* publice habitarum, *Consiliorum* centurias in aegrotorum solatia collectas, & quae plura hujus commatis in scriniis DEFUNCTI cum damno Orbis eruditi delitescunt. Ad nostram gloriam & merita SCHAPERIANA, quam Professoria gavissus est dignitate, spectare persuasi sumus, quando a *Societate Regia Berolinensi* ut membrum condignum fuit receptus, & *ACADEMIA CAESAREO-LEOPOLDINA*, non in uno loco *Ephemeridum* suarum laudatissimum Professore vocare, ejus scientiam,

C

cumpri-

cum primis quod Philosophiam Cartesianam attinet, extollere haud retractat. O! quam ergo jam agnoscimus nostra in SCHAPERO, quæ habuimus ut nostra, dum ea amisimus. Profusas audimus Academias, nostra non minoris famæ, in laudibus Medicorum suorum canendis, quos ut Meccænatæ extollunt, modo ex legatione magnarum pecuniarum, modo ex donatione amplissimarum Bibliothecarum, modo quod se intercedentibus proventus annuus magna satis accessione fuerit auctus: nunquam quoque intercidet memoria maximi beneficii, quo à Professore suo *Jacobo Fabricii* hæc Alma tuit recreata, quia *in publicis tunc malis*, ut verba in membranis Academicis autoritate publica conscripta habent, *ALBERTO WALDSTEINIO FRIEDLANDO*, Duce infinitis exactionibus plerosque cives in quartum usque annum miserime divexante & ad incitatas redigente, sua sedulitate in arte Medica primitus obtinuit & deinde omnibus Civibus Academicis conciliavit, ac diligentissime fovit, ut Optimatum bellicorum insperata erga Academiam benevolentia ab horridis militum injuriis mediocriter tuti vixerint & mirabiliter servati fuerint: quidni etiam recordemur singularis favoris & amoris quo SCHAPERUS nos pronuper complexus est. Sub turbulento sane belli statu, ante octennium & quod excurrit, Suecorum Exercitus Provinciam hanc & non parvus copiarum numerus hanc Urbem occupando præter hospitium victum quoque sibi suppeditari desiderabat, resque nostræ eo pervenerant, ut duro huic jugo colla nostra subderemus, veteres ergo Coloni migrare cogerentur: En! SCHAPERI curis, penes quem tunc erant sceptræ Academica, factum est, ut Protectorium, quod audit, à MAGNO STEINBOCKIO Copiarum harundem Præfecto summo, fuerit datum, nostræque Domus, nostra musæa, nostræ mensæ nobis solis fuerint relicta, nostrosque circulos intrepidi porro ducere potuerimus.

mus. Quam hoc officii genus fuerit charum vel ex elegantissimo carmine intelligere est, quod præcinente
AMSELIO.

*Quem stupet Elysiis canentem Naso sub
umbris,*

Omnis Doctorum chorus obtulit, & cujus hæc sunt primordia:

*Deuimus SCHAPERRE, diu tibi carmina
cives,*

*Da Gregibus, sero dantibus, esse morâ,
Tu bonitate frequens & munera, nostra
merebas,*

*O animo nobis officiisque dator!
Regis ad exemplum, tu Rector & ore Ly-
ceum*

*Et re tutatus; gloria, sancte, tibi!
Tu Patrocinium non militis, Aie, recepti,
Tu, non illatæ vis, obelisce, focis!*

*Et tam Principe quod compendia nostra
iuuata,*

*Omne tuum meritum, Sceptringer, omne,
tuum.*

*Qualis Athenæo Fabritius egit ocellus,
Taliter & tu res, archistrateges, geris;*

C 2

Scili-

*Scilicet hinc ille pro numine scriptus in
albo,
Tu caelis illic nomine vectus amor. &c.*

Nonne luctus profundissimi largissima penus ! Nolo vero ad specialiora meritorum SCHAPERIANORUM argumenta descendere ; in abyssum perveniremus , ex qua pedem referre difficile. Memorandum esset , quam omne quicquid ego unquam merear in Acadēmia hac rosea , hoc omne debeam COLLEGÆ huic meo tam magnis passibus & ferrea mente negotia sua peragenti. Quantumvis enim , ex arctissimo hoc nostro nexu sub affrictione vix evitanda , scintillæ tenues aliquando excussæ , ex quibus qui procul stabant , incendium metuere sueverant : dissipavit facile illas , quando ipse agnovit . evenire talia non ut æmularer , sed tamen ut imitarer & sequerer. Propero magis ad mortis genus , quo nobis tam late penetrans & tantum non intima pervadens vulnus est inflictum. Fissuram in pede percipietis ruinam hanc attulisse , attendatis modo ad verba Medici ex doctrina & Consanguinitate Defuncto charissimi. Ita vero *Prænobilissimus & Excellentissimus* sæpius à nobis jam laudatus
D. JOHANNES LUDOVICUS SCHAPERUS :

Quantumvis Supremi felicitis nunc memoria Patruī mei morbi historiam exponere , conantem conceptus inde exquisitissimi doloris sensus à scribendo primum plane retraheret , mox autem sumptum resumptumque calamus sapius iterumque manibus excuteret , tamen necessitas tandem rei officium mihi longe tristissimum extorsit. Si igitur confusaneo paululum ordine delineatam illam deprehenderis , æquum est , meminisse , maximorum Viri in me meritorum , qua ingratus essem , ni & hic publice prædicem , fatearque , me ne cogitando quidem ea consequi posse unquam,
sodiam.

copiam animo subinde obversatam densa nonnunquam caligine mentem obsuscasse. Tres omnino ab obitu menses fuerunt & quod excedit, cum insolito quodam pedis dextri frigore tentaretur Noster, quod ejus non tam officium tollere, quam omnem statim medelam respuere videbatur. Succedebat deinde inter pedis dextri digitos anteriores fissura comite insigni dolore, qui vero hostis adhibitis fortioribus remediis debellatus quidem, sed remanente nihilominus causa agritudinis interiori, pristino nempe & difficili pedis rigore, non penitus fuit expulsus. Unde concessa aliquantiisper quiete latens adhuc intus malum recrudit ac adflictum quondam concussumque creberrimis itineribus variisque gravissimis laboribus Nostri corpus tanto cum impetu adortum est, ut fissura illa jamjam descripta non tantum periculosior denuo prodiret, sed, accedente nunc intensissimos cruciatus inter gangrenam, extincto tandem omni naturali calore, adeoque scena quasi peracta, ipsa partiam pedis dextri inferiorum corruptio, quam aptiori Vocabuli nomenclatura Græci artis nostræ interpretes ο Φάκελον pridem vocitarunt, fatali funestoque morbo catastrophæ imponeret. Non equidem intermissa à me sunt, quæ vel cogitatione ulla conquirere poteram, medicamina, quibus si non restitui pristina valetudini Ager, levari saltem posset: Verum tam fixam sedem, tam altas radices egerat pertinax malum, ut omnis labor ei tum eradicando & dissipando, tum molliendo leniendoque adhibitus hec frustra prorsus infumeretur. Tandem & Consilia, per nuncios citatis equis euntes redeuntesque huc allata, requisita sunt Augustissimi Borussiae Regis Archiatri & Aulae Consilarii D. FRIDERICI HOFFMANNI, Halensis non modo Academiae, sed universi orbis literati ornamenti. De quibus quamquam exoptato ad extremum successu caruerint, sapius tamen testatus est Noster, se Viro inastimabili pro præstita tam fideli opera obnoxium atque devinctum & vivere & mori. Nec tacendus nobis est, præter absentes, quos consulimus, omni nostra bonorumque laude dignis peristis.

perisissimus Civitatis hujus Chirurgus JACOBUS BRADTIUS, cujus sane industria, cura, vigilia, studia, tanta fuerunt, quantum ab alio vix poterant expectari, in eo potissimum, cum frustratum de effectu cerneret, infelicem factum fuisse existimans, quod Virum, de sese etiam immortaliter meritum per omne vita sua tempus necesse habeat deplorare. Atque ita Noster debilitato magis magisque spirituum robore & exhaustis denique viribus cunctis sub crebris febrium concussionibus die III. ante Idus Januarii anni MDCCXXI. hora fere post meridiem II. medios inter sacros ecclesia nostra hymnos, quos & inceperat ipse & voce, quoad potuit, praecinentes insecutus fuerat, vita omnis pertasus, immortalem caelestemque animam, sanctissimo, a quo acceperat, Numini libens reddidit letusque. Lætus jam ILLE qui satur vitæ & laborum integris sensibus, inter cantica & preces suorum tranquillam animam, placide ac leniter DEO reddidit, triumphali curru jussu REDEMPTORIS cælo illatam. Invenit Portum quo alius in hoc procelloso & in omnes tempestates exposito mari navigantibus non est, i. e. mortis; Mors hîc fuit dolorum & solutio & finis, ultra quam mala exire haud valuerunt. Nos vero quid agamus? Non exiguam nobis dolendi, lugendi lachrymandi causam esse qui negaverit, nostram jacturam non novit; nec enim uti in damna, ita in incrementa, velox tempus est. Quam lente succrescunt, eversis arboribus quas aut ventus radicitus evulsit aut contortus repentino impetu turbo perfregit, ex illis residuæ soboles! Et, quam agricola amissarum semina plantasque iterum disponat, & ex unius interitu factum damnum implere, & refarcire conetur, moram addat necesse est. An solatium erit cogitare id SCHAPERO accidisse, quod ante se passi sunt omnes, omnesque passuri? quod crudelitatem fati consoletur æqualitas? quod patienter ferenda fors nostra? quod viros deceat invicta in adversis constantia? quod

quod animæ à rebus mortalium ad æterna júbila pro-
gressæ nec profit nec placeat ejulatio nostra? quod lugendo
non computemus, quanta perceperimus, quantumve ga-
visi simus &c. Hæc sponte succurrunt, & hæc omnia
novimus, sed dolore nostro superantur. Non privatus
hic est luctus; inclyta Academiæ gloria non manet inta-
cta. Solvamus ergo singuli in funere, quod à Vidua mœ-
stissima hodie solenniter & sveto nostro more adornatur;
officium nostrum comitatu, lachrymis, singultibus, qui
sint ardentissimi nostri amoris infucati testes; celebremus
exequias tanti *VIRI*, cujus funus ex medico ordine majus
hactenus non vidistis; commendemus nostras fortunas
adeo fragiles & Academiæ ex abitu *Tutoris & Curatoris*
fidelissimi casui viciniorem, commendemus, inquam,
ardentissimis precibus DEO, qui providebit; accendamur
ultimo SCHAPERI contuitu ad parem pro Academiæ
gloriâ servandâ ardorem, sive ad docendum nos constitu-
erit summus Rector, sive qua Virtute polleamus ejus com-
modis inserviendi. VOS vero Musarum filii quos Studio-
forum nomine hæc Alma Mater blandissimo amplexu fo-
vet & alit, recordamini quam sapiuscule B. *DEFUNCTUS*,
dum viveret, Vos è Cathedra compellaverit & testatum
fecerit, quam ipsi sitis in deliciis; reddatis, rogo, hoc
scenoris loco, ut testemini fuisse & illum in vestris deliciis.
Confluatis ergo & quem honorem ac cultum magna con-
cione persæpe Professoribus vestris publicis exhibuistis,
& hunc date ossibus SCHAPERI conditorio suo jamjam
inferendis. Comitementi frequentes tumbam processu
VOBIS decoro, *Academia* honorifico, *Spectantibus*, quos
liberaliter undiqve concurrere videbitis, gratioso, *Facul-
tati Medica* perjucundo. Siquidem vero perquam facile
animus solet ad devia & inter eundum ferri, omnes &
singuli revocemus in memoriam illud *SENECÆ*;


! Quos

*Quos amissimus, sequimur. Respice
celeritatem rapidissimi temporis. Cogita
brevitatem hujus spatii, per quod cita-
tissimi currimus. Observa hunc comita-
tum, generis humani eodem tendentium,
minimis intervallis distinctum, etiam ubi
maxima videntur. Quem putas periisse,
præmissus est.*

**P. P. in Academia Rostochiensi, sub
Sigillo Facultatis Medicæ die
VI. Februarii, Anno
MDCXXI.**

Conventus fiet in Templo Jacobæo
ad I. pomerid.





De Hydrophalimia intercepta. Respond.
Schapero, Lufato.

Anno 1715.

De Mictu cruento. Respond. Eodem Scaper

De Hydrope ascite. Resp. Carolo Nicola
Stralsundenfi, cum Programme:
an. fit sanabilis ?

Anno 1720.

De Cardialgia. Respond. Joachimo Theod


Wena-Hanoverano & Archiatro I
vienti, cum Programme: Was
chen des Herzhspannes zu halten sei

Quisquis jam novit stilum Academia
conscribendis Disputationibus hodie hoc au
oneris, relinquatur Præsidi ut illarum Auth
sit, quam Respondentes in materia ipsis n
conspicua satis sint speciatim erudiendi, u
cathedra gerant; quam in actu Disputatio
ponentium, à Præside, & Respondentis fit
quo veritati, eâ qua licet perspicuitate, litent:
& hoc dabit, quod laboris sibi haud par
speciminibus memoratis magno sudore & s
conflatis Academiam hanc orbi Erudito co
omni nisu demonstrandi, se Professore e
profitendo nomen acceperit ac mons â m
quentem, docentem, diserentem, scribe
vocabulo omnia Professoris publici muni
fidelissimum: hinc ex communi consensu B
Augeat porro famam & merita DEFUNCTI
tio Laureæ Doctoralis in Viros illius cond
est exprobatio, quæ fit & Italis & G
utinam non etiam Germanis! quod levis

Copyright 4/1999 Vajmasteer GmbH www.vajmasteer.com

Verfarbselector Standard - Euroskala

causa promiscue Licentiam Medicinam exercendi; cuius
 petenti, brutis sæpe indoctissimis, impertiantur, totam
 hanc artem infament, Academias dehonestent, sibimet
 ipsis stigma inurant, salutis Rerum publicarum perva-
 riores & omnium eorum quæ inde proveniunt causæ exi-
 stant; culpa certe tali vacat *DEFUNCTUS* noster, & Aca-
 demia vacat nostra, ut potius, qui se Decano Doctoris In-
 signibus fuere decorati, stellæ sint Cæli nostri Academici,
 non Planetæ, lucem ab aliis qui expectandam habeant.
 Audient enim omnes, qui illos vel noverint adhuc in vi-
 ta constitutos, vel in morbo extinctos, judicent etiam
 in summam inviolabilem de adducti, an vel unus indignus
 mitram Doctorem *CHAPERO NOSTRO* abstulerit
 aut emendicatio sine Promotorum de novo ad
 annorum



8. April.
 bergensis, t. t. Aulæ
 is: abhinc Proto-
 gs amplissimus.
 Rostochiensis:
 ensis & Ducatus
 nobilis.
 chimensis: abhinc Ar-
 s Poloniarum & Electro-
 nimus.
 PHORUS GOTTWALD,
 Practicus Gedani-felicissimus.
 99. in die 12. Jul.
 D. GEORG HAGEN, Leontinensis Marchicus,
 us Boltzenburgensis: abhinc Medicus
 Schlesw. gensis d. r. i. s. s. i. m. u. s.
 D. GERHARDUS MATTHIAS RÖHR, Hamburgensis:
 abhinc Medicus & Consul Anclamensis gra-
 vissimus,
 Anno